

905.

Amico Eximio
DD. ABR. BÆCK

S. pl. d.
C. Linnæus.

Promissa semina dudum recepit D. Mag. Tidström et penes se habet; dixit se cras discessurum Holmiam, adeoque habebis quam primum et satis mature. Nos etiamnum serimus nostra.

Quod ad me venias ratum factumque judico; accedas pro more tuo hillaris et contentus, una cum Tua, nec festines, nec studeas.

Lætor tecum quod in aula bene exceptus; Te feliciorum judicarem, si inde nullum lucrum reportares.

vellem scire, quales picturæ essent operi ab D:no Rhen adjectæ; de quibus responsum tuum lubenter exaudirem.

ego totus jam in horto plantas intueor, dum Tu sostra numeras ex ægrotis Holmensibus una cum collega meo.

Vale, vive felix.

dabam Upsaliæ 1755 d. 23 Maji.

Utanskrift och sigill som på bref. 888.

906.

Amico eximio
DD. Archiatro BÆCK

S.
C. Linnæus.

de edendis Hasselquistianis propediem conferre licet; post 14 dies, ut spero, certissime heic eris.

accepi infinita semina ab Anglis et plantas rariores, ut quo me vertam nesciam.